UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita Beati Raynaldi, Archiepiscopi Rauen[n]atis, ex a Commentarijs doctißimi viri Hieronymi Rubæi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

Visual Library

satellitum turba deductum, ibique regali sepulchro conditum. Sic igitur Imperatoris mater diem suum obijt; quæ quidem est immortali planè memoria celebranda, non modo propter pia vitæ officia, sed etiam propter eximiũ illud & admirabile germen ab ipsa editum, Constantinũ dico; quem quidem cum ob cæteras res oẽs, tũ ob pietatẽ in parentẽ suam beatũ iudicare par est; qui illam, cũ iam anteà pietate minimè esset imbuta, ita piam reddidit, vt à primo tempore ætatis, ab ipso communis omnium Seruatoris ore instituta fuisse videretur; ita etiam honore regio exornauit, vt cùm apud omnes gentes, tum apud eos, qui aliquo in gradu militari collocati essent, Augusta & Imperatrix nuncuparetur, aureaque numismata eius imprimerentur effigie.

Constãtinus suam matrẽ conuertit.

Quomodò ab eadem beatissima Imperatrice inuenta sit Crux & Claui Saluatoris nostri, Lector videre potest in S. Crucis inuentione, de qua tom. 2 Maij. 3.

a *lib. 6. Hist.* *VITA BEATI RAYNALDI, ARCHIEpiscopi Rauenãtis, ex a Commentarijs doctissimi viri Hieronymi Rubæi.*

18. Augu. MORTVO Opizone Rauẽnate Archiepiscopo, sacrati viri Rauennates, de more in Vrsiano templo habitis comitijs, duos elegerunt, Raynaldũ, Cõcorregiũ Mediolanensem, & Leonardum Flisicum, Ecclesiæ Brugensis, quæ est in Tornacensi diœcesi, Præpositum. Verùm Benedictus vndecimus, Pon-

Pontifex Maximus, qui tum primùm Bonifacio succeſſerat, Raynaldum probauit; qui rem diuinam coram Pontifice fecerat; Canonicus primùm Laudunenſis, mox vniuerſæ Flaminiæ Præſes, deinde epiſcopus Vicẽtinus; ad Archiepiſcopatum Rauennatem euectus, tertiodecimo Kal. Decembr. apud Lateranum, anno Pontificatûs primo, à Benedicto Pontifice conſecratur; cum omnes illum Rauennates, ob ſanctitatis famam à Pontifice Archiepiſcopũ poſtulaſſent. Qui in dies puriſſimum numinis diuini cultũ, legibus perſanctè editis, propagandum apud ſuum populum diligenter curauit; quapropter & ſæpè Archiepiſcopatûs oppida, Argentamq́; præſertim inuiſit, ac prouinciale concilium, anno ab ortu Chriſti, milleſimo triceſimo ſeptimo Rauennæ celebrauit; curauitq́ue vti Senatui Rauennati, Lamberto præſidente atque ſuadente, placeret, Rauennæ, monetæ, pecuniæq́ue ad Anconæ modum cuderentur. Eſtque id habitum, non multò poſt, quã Clemens V. qui Benedicto ſubrogatus fuerat, in Galliam Pontificatûs maximi Sedem tranſtuliſſet.

Concilium prouinciale Rauennæ anno 1307.

Poſtea cùm Henricus Cæſar Ciſalpinarum diſſenſionum peritiſſimus, regniq́ue propagãdi cupidus, in Galliam Ciſalpinam deſcendiſſet, familiariſſimo ſemper, grauiſſimoq́ue Senatore vſus eſt hoc Raynaldo Archiepiſcopo; cuius etiam, aliorumq́ue prætereà Senatorum conſilio, cum eſſet Aſtę Coloniæ, omnes Ciſalpinarum ciuitatum exules, in patriam quemq́; ſuam, reuocauit. Tametſi non ita multò poſt, mutata ſententia, omnem ferè Italiam pertur-

Causa Templariorum Raynaldo excutienda cõmittitur.

bauerit, & Robertum Siciliæ Regem, pronunciato publicè edicto, regno priuauerit. Ad hæc accessit causa equitum Templariorum, quos Clemens Pontifex per hos dies acriter persequens, Raynaldo Archiepiscopo eam causam cognoscendam mandauit, religione hominis & virtute plurimùm fretus.

Cæterùm Raynaldus, vt iudicium legitimo iure faceret, cum anno millesimo trecẽtesimo nono, Bononiæ habito conuentu aliquot sibi subiectorum Episcoporum, studiosè in illos inquisiuisset, tandẽ anno 1311. eadem de re Concilium Rauennæ habuit; in quo septem Templarij Ordinis equites ad quæstionem introducti fuerunt. Erant autem hæc quæstionis capita.

Capita quæstionum Templarijs obiecta.

Cùm in Ordinem cooptabantur, in ipsis sacrorum suorum initijs, Christumne, aut Deũ, aut Virginem Deiparam, aut diuos abiurassent, vel vt abiurarent moniti fuissent, aliosque ipsi ad abiurandum incitassent. An simulacrum quodpiam, idolum fictum & commentitium, diuina veneratione coluissent. An tyrones, adolescentulos præsertim libidinosè, atque alia quàm deceat parte, osculati fuissent. An dum rem diuinam facerent, sacra mysteriorũ & consecrationis verba omisissent. An scelestum & nefarium facinus putarent, hæc committere. Quod cum affirmassent, cæteris fortiter perpetuoque negatis, ab Concilio dimissi sunt. Et quidem Raynaldus, Concilium de tota re cõsuluit, quid fieri placeret; in quo cũ multæ & variæ sententiæ dicerentur, & Clemens Pontifex cuncta accepisset, sic de tota tandem re in-

Clemens Põtifex Ordinẽ Templariorum delet.

re iudicauit, vt multis eorum incendio crematis, vniuersum Ordinem deleuerit.

Paulò post idē Raynaldus, Ioannis Pontificis iussu & auctoritate, Friderico, Guidoni, & Sperantiæ, Comitis Vrbinatiū fratribus, ipsisque Vrbinatibus, sacris interdixit; quod cędib⁹ indignissimis maximisq; factis, Vrbinū, & pleraq; alia Romanæ Ecclesię subiecta oppida occupassent, ciues multos expulissēt, reliquos durissimo imperio opprimerent. Neque verò has Pōtificias Interdicti literas Raynaldus solū intrepidè recitauit diuulgauitq;, sed omnes iussit, curauitq;, ad quos ipse eas misisset, vt idem efficerent. Tandem autem cum Bononiæ anno 1317. Concilium Prouinciale habuisset, Rauennæque in æde Vrsiana aram Crucis erexisset ac dedicasset, in qua ex marmore arcam multis ac præstantibus Sanctorum reliquijs plenam, inclusérat, ac eam certis legibus latis, prædijs ditâsset, sacerdotumque conuentum, qui certis statisque diebus parentarent, & pro mortuis psalmos & preces ex libris sacris conceptas, recitarent, iam multis antè seculis institutū; & hoc Raynaldi tempore ob sacerdotū licentiā corruptum, restituisset, anno, 1321. non absque ingēti apud omnes sanctitatis opinione quintodecimo Kalend. Septembris tranquillè decedens, in cælestem patriam euolauit. Sepultus est in monumento ex marmore, in æde Vrsino; quod cùm superioribus annis Iulius Feltrius ab Ruuere, Cardinalis, Rauennatum Archiepiscopus aperiri coram se mandâsset, corpus sancti viri integrū ac penè recens, promissa barba, statura procera, ingenua forma, & spe-

Eximius zelus eius pro iustitia.

Felix Obitus eius.

Miracula ad sepulchrum eius.

& specie ad dignitatem apposita inuentum est. Ad eius funus, cùm adhuc in sepulcrum illatus non esset, multa miracula & insequentibus etiam diebus & annis facta sunt; & vt reliqua omittam, Iacobus Bennicasa, Iurisconsultus Rauennas, cùm desperata omni salute, & penitus destitutus, acerrimis podagræ doloribus affligeretur, seque voto nuncupato, diem Raynaldi festum, quotannis solenniter celebraturum obligâsset, postridie eius diei, doloribus & morbo solutus est. Quòd Ioanni quoque Grado, in graui capitis oculorumque dolore, cùm esset ad Raynaldi sepulchrum profectus, eiusque opem suppliciter imploraſſet, peridem tempus contigit. Ex agro item Rauennati, eo vico, cui Herbosæ nomen est, mulier Blonda vocata, cacodæmone suprà quàm dici potest agitata, à cognatisque suis maxima vi ad Raynaldi sepulcrum pertracta, liberatur. Pari fœlicitate sacra virgo cœnobij D. Mariæ cognomento Padrielis, membrorum omnium resolutione oblanguens, cum viri sancti patrocinium inuocâsset, repentè sanitati restituitur. Atque hæc pauca de multis quæ indies fiunt, collegisse sat fuerit.

PRAECLARVM MARTYRIVM S. Andreæ, Ducis Exercitus & Sociorum: ex eo quod extat apud Metaphrasten. Coronati sunt anno Salutis 301. Marcellini Papæ 5. Sub Galerio Maximiano Imperat. in Oriente, Diocletiani genero.

Vide 2 Tomo Annal. C. Baron.

TEM-